D. O. M.

ASSERTIONES

EX SACRA THEOLOGIA

ET VNIVERSA PHILOSOPHIA DEPROMPTAE, QVAE PVBLICE AD DISSERENDVM PROPOnuntur in Templo Collegij Societatis Iesu

Mense Die hora

SVPERIORVM PERMISSV.

NEAPOLI,

Apud Horatium Saluianum. Anno. 1580.

EX SACRA THEOLOGIA.

DE DEO TRINO, ET VNO.

1 SCIENTIA Diuina per reuelationem accepta, non modo est possibilis,& conuenientissimè datur, verum etiam necessaria est,& solo lumine naturali acquiri nequaquam potest. Theologia quoq; Scholastica,quæ est habitus conclusionum ex principijs fide diuina acceptis deductarum, quamuis non singulis hominibus,toti tamen Ecclesiæ admodũ necessaria est,cuius forma licet non semper in hanc methodum fuerit redacta, Ecclesiæ tamen nunquam defuit, & initium potissimum à Christo Domino nostro sumpsit,& Apostolis.

2 Cum autem Theologia viatorum aliqua ratione Theologiæ Beatorum subalterneteur,scientia iure optimo dici poterit. Articuli item fidei, ac proinde Theologicæ conclusiones,quamuis de facto viatoribus nõ sint euidentes,illorum tamen euidentia per Dei potentiam dari potest. Habent præterea Articuli fidei si non euidentiam veritatis, saltem euidentiam credibilitatis. Huius Sacræ Theologiæ obiectũ Deus optimus est, quẽ quidem esse,secundum se notum est,at vero secundum nos ab effectis demonstrari potest.

3 Non est autem Deus Opt.Max. corpus aut ex materia,& forma,vel ex genere,& differentia compositus,sed vnum,& simplicissimũ ens, in quo essentia,& existentia,suppositũ,& natura omnino identificantur. Cũ igitur deus sit suum esse,dubitari non licet, ipsum esse Vnum, Verum, Bonum,Perfectissimum,Immutabilẽ,Beatum,& vndequaq; Infinitum, Infinita vero eius potentia ex eo cernitur,non quod infinitum in magnitudine,& multitudine producere possit,vel quod præterita non fuerint, hæc enim ex se repugnant,sed quod omnia factibilia in infinitum maiora,& meliora efficere queat.

4 Est etiam Deus in omnibus rebus per essentiam,Præsentiam,& Potentiã,operatio vero est ratio formalis; quare sit in loco Atqui in nihilo imaginario non est actu,sed potentia. Æternitas,quæ commode definitur interminabilis vitæ tota simul,& perfecta possessio,soli Deo conuenit. Dicit porro Æternitas formaliter,& intrinsece duratiõe existẽtiæ vniformem, & ab immutabilitate,à qua tanquam à radice dependet, differt.

5 Deus Opt. ad cuius Beatificam visionem,vt se attollat homo supernaturalibus indiget adminiculis,conspici quidem potest, non tamen ab oculo corporeo,neq; ab intellectu per speciem aliquam ipsum Deum repræsentantẽ (quæ non solum de facto,sed nec de possibili dari potest) indigent tamen Beati ad Deum videndum tam in patria, quàm extra lumine gloriæ,quo perfusus intellectus essentiam diuinam in ratione speciei recipere, Deumq; ipsum contueri possit.

6 Hoc Porro lumen gloriæ maius minusuè Beatis tribuitur iuxta gradus charitatis,quæ luminis variatio dissimilem reddit beatitudinẽ, nec tamen aliquod lumen creatũ infinitum, quo Beatus Deum videns illum comprehenderet, dari potest. Videtur etenim Deus totus,cum sit sim-

pliciſſimus,ſed à nullo(vtaiunt)totaliter,cum ſit infinitus. Qui vero ad Diuinam eſſentiam contuendam admittuntur, quicquid in illa eſt formaliter naturale,aperte cognoſcunt,immo eſſentia ipſa diuina conſpici nequit abſq; perſonis,neq; vna perſona ſine alijs. Nullus tamen intellectus creatus omnes effectus poſſibiles ibi conſpicere valet.

7. Neque implicat,eſſentiam Diuinam à Beato videri, abſq; eo , quod in ea videatur aliquis effectus,& qui beatior eſt,plures huiuſmodi effectus contuetur , quos Beati non per aliquas ſimilitudines cernunt , ſed per eſſentiam diuinam loco ſpeciei , quare ſimul omnia vident; & quamuis probabile ſit,Beatos videre in verbo omnia genera,& ſpecies rerum naturalium,quæ ſunt factæ,etiam quoad exiſtentias,nõ habitu,ſed actu,ea tamen , quæ ſine luminis ſucceſſione , qualia ſunt aliqua Myſteria Gratię,quorum habentur reuelationes ſucceſſiuæ,credendum eſt in proprio genere,& non in verbo conſpici,illa enim Beatitudo cum menſuretur æternitate participata,nullam luminis ſucceſſionem admittit.

8. Solus Deus,qui ſe ipſum perfectiſſime compræhendit,nomen ſibi valet imponere,quod ſuam ſubſtantiã,ſicuti eſt,&quantũ nominari poteſt, ſignificat,Nos vero illum aliqua ratione nominare poſſe nemo ambigit, Nullum tamen eiuſmodi nomen à nobis impoſitum eius ſubſtantiam,ſicuti eſt,ſignificare põt,nec ob id deſunt nomina,quæ de Deo ſubſtantialiter prædicentur. Nomina porro,quæ relationem Dei ad creaturas cõſequentem actiones tranſeuntes important,de Deo ex tempore dicuntur,huiuſmodi enim relationes ſunt rationis, & cum relationes non mutuæ in ratione menſurabilis per abſolutum , & non per relatiuum terminentur,fit,vt creatura ad Deum realiter referatur.

9. Deus Glorioſus præterquam quod ſe ipſum perfectiſſime compręhendit,alia etiam à ſe propria,& diſtincta cognitione in ſua eſſentia intelligit,ſiue ſint uniuerſalia,ſiue ſingularia,ſiue neceſſaria,ſiue libera,& hæc omnia ſiue præſentia,ſiue futura:omnia etenim Deo ſunt præſentia in ſua æternitate.Cognoſcit etiam Deus certo, & infallibiliter in cauſis liberis omnes effectus illarum,etiam illos,qui numquam erũt, ſed futuri fuiſſent,ſi aliqua occaſio cauſæ liberæ occurriſſet . Mala quoq; à deo non per ſuam eſſentiam,ſed per bona creata,quorum ſunt priuationes, cognoſcuntur.Hæc autẽ certiſſima Dei præſciẽtia ſicut nullã rebus liberis,ſeu contingentibus neceſſitatem imponit,ita nullũ eſſe diminutum rebus intellectis impertitur.

10 Ideæ,quæ ſunt propriæ rationes rerum in mente artificis, ponendæ sũt in Deo , eaſq; plures eſſe non realiter , ſed virtualiter affirmamus,ea nimirum ratione,qua Deus cognoſcit ſuam eſſentiam , vt imitabilem à multis creaturis.Deus etiam non ſolum ſe, ſed alia etiam omnia extra ſe vult , & amat, eo tñ diſcrimine,vt ſe naturaliter,& neceſſario,reliqua vero omnia liberè velit,cum tamen non libere,ſed naturaliter ſe,& omnia alia cognoſcat.Omnium præterea creaturarum cauſa efficax eſt voluntas Dei,cuius voluntatis,quæ immutabilis,æternaq; eſt , nulla cauſa primaria reddi poteſt.

11 Attributum eſt Diuinæ eſſentiæ perfectio formalis,quæ nõ eſt relatio, nec relationem primario importat.Et quidem in Deo ſunt attributa ex natura ſua,tamen nec ab eſſentia,nec inter ſe vllo modo ex natura rei ſe

clusa

clusa intellectus operatione distinguntur, sed tantum ratione quodammodo ratiocinata, cuius distinctionis fundamentum proximum non in Deo, sed in creatura reperitur. Nō tamen negauerim attributa ad intellectum, & voluntatem attinentia, si inuicem conferantur, habere aliquod distinctionis fundamentum, sine vlla ad creaturas consideratione. Prouidentia Dei, quæ est ratio ordinis rerum in finem, est æterna, cuius dispositio est temporalis. Dicit autem actum intellectus præsupponendo actū voluntatis.

12 Prædestinatio, quæ est species prouidentiæ, est ordo præstitutus in mente diuina, quo ordinat creaturam rationalem ad vitam æternam infallibiliter, causans in creatura rationali quicquid ipsam ordinat in vitam æternam. Effectus præcipui prædestinationis tres recensentur, Vocatio, Iustificatio, ac Glorificatio. Includit etiam prædestinatio certam, & infallibilem assequutionem finis rei prouisæ, ne dum prouidentis, cum tamen liberum arbitrium neutiquam tollat.

13 Nec plures salui erunt, quàm prædestinati sunt (est enim electorum numerus certus, non tantum in præscientia, verùm etiam in prædestinatione.) Nec quia æterna est electorum prædestinatio, ideo Sanctorum precibus, aut ipsorum prædestinatorū operibus iuuari nō potest, vt enim Dei voluntas à creaturis non pendet, ita illius exequutio per creaturas Domino cooperante fieri solet.

14 Deus Opt. Max. tametsi natura vnus, & simplicissimus sit, in tribus tamen personis Patre, Filio, Et Spiritv sancto, realiter inuicem distinctis, sub triplici subsistentia, cum vna numero, essentia, potestate, perfectione, eademq; per omnia æqualitate, subsistit. Generatio porro cum sit processio secundum rationem similitudinis ita, vt ex vi talis processionis procedat simile, fit, vt processio Verbi in diuinis sit generatio, & Verbū procedēs dicatur filius, siquidem procedit per actum intellectus. At vero Spiritus Sancti processio quia per actum voluntatis procedit, non generatio, sed spiratio dicitur, nec ipse Spiritus sanctus genitus dici potest.

15 Relatio, & Diuina Essentia sic inuicem identificantur, vt nullo modo realiter, aut ex natura rei formaliter ante omnem operationem intellectus separētur. Quia tamen ante operationem intellectus habent fundamentum, vnde possint per intellectum distingui, plus quàm ipsa attributa, atq; adeo definitione secernuntur. Atqui res relatiuæ (sunt enim tria relatiua & quatuor relationes reales) tametsi re adinuicem sint distinctæ, diuinæ essentiæ simplicitati nihil officiunt, quàm tamen destruerent, si res essent absolutæ.

16 Persona rectè sic potest describi, rationalis naturæ indiuidua substātia. Persona diuina significat relationem, vt subsistentem, & quamuis relationem in recto, & essentiam significet in obliquo, non tamen significat relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Notiones quinq; sunt, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio. Communis spiratio, & Processio. Hæ omnes præter primam sunt reales relationes, & præter communem spiratione͞m omnes sunt proprietates. At vero tres tantum sunt notiones personales, siue personas constituentes. Paternitas nimirum, Filiatio, & Processio; Plures porro notiones vnius personæ tametsi adinuicem rea-

liter non distinguantur, non tamen de se inuicem in sensu formali prædicantur.

17 Sicut Filius Patre posterior non est, nec minor, aut ab eo natura differens, sic nec Spiritus Sanctus ab vtroq; . Hoc tamen non impedit quo minus Pater sit principium Filij, & Pater, ac Filius sint principium Spiritus sancti. Nomen etiam causæ in Diuinis ob imperfectionem meritò semper latini reiecerunt. Ingenitum porro est Notio Patris formaliter per illam negationem originis, quàm per se primo inuoluit, Negationis vero vis, qua pater innascibilis dicitur, non in essentia immediate, sed in persona patris ratione paternitatis innititur.

18 Verbi Nomen, quod non essentiale, sed personale censendũ est, proprijssime Filium Dei significat, qui perfectissimè suum genitorem exprimit. Procedit autem verbum ex tota scientia simplicis intelligentiæ Patris, non tamen ex tota visionis cognitione, quæ est libera. pater enim intelligendo se, filium, & Spiritum sanctum, omniaq; alia, quæ eius scientia continentur, concipit verbum. Habet etiam verbum intrinsecam habitudinem rationis ad creaturas, quarum respectu non est solũ speculatiuum sed etiam operatiuum.

19 Spiritus sancti nomen si complexè sumatur, & adiectiue, essentiale est, & nõ personale, si vero incomplexe, & substantiue ex vsu scripturæ, & Ecclesiæ, accõmodatum est ad significandã tertiã personã Sanctissimæ Trinitatis. Hoc itẽ nomẽ licet relatiue nõ dicatur, pro relatiuo tñ ponitur, quandoquidẽ accõmodatur ad significandã personã solã relatione ab alijs distinctam. Cum vero Spiritus sanctus sit nexus Patris, & Filij, consequẽs fit, vt à Patre filioq; procedat, si enim ab vno procederet, paruolitatem non procederet, aut si à filio non procederet, ab illo non distingueretur. Procedit etiam ex amore non quidem creaturarum, sed essentiæ & personarum, immo ex mutuo patris, & filij amore amicitiæ; quare optime possumus concedere Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto.

20 In Diuinis nullo modo concedendum est vnum subsistens absolutum habens deitatem. Ipsæ etiam personæ diuinæ nec distinguuntur nec cõstituuntur per absoluta, sed per relationes; Quare non se ipsis distinctæ, sed per origines, & principalius per relationes dicendæ sunt. Constituit porro relatio personam secundum esse Ad & secundum propriam rationem relationis. Ipsa etiam relatio paternitatis, iuxta imbecillem nostrum intelligendi modũ, vt constituens præintelligitur actioni, & origini, cum tamen actio notionalis præintelligatur relationi, vt est distinguens, & referens, secundum tamen intelligendi modum rei conformẽ omnia simul intelligi debent.

21 Potentia respectu actuum notionalium in diuinis statui potest. Atqui potentia generatiua præcipue, & in recto ipsam essentiam, in obliquo vero relationem significat, idem respectiue de potentia spiratiua suo modo dicendum est. In Diuinis quoq; personis necessario ponenda est æqualitas summa, & mutua in quantitate perfectionis fundata, quæ relatio nequaquam realis, sed rationis est, & licet in diuinis personis sit quidam ordo originis, secundũ quem vna ab alia vel aliis est, in hoc tamen ordine nullam agnoscimus proprie prioritatem.

22 Necessario concedendum est, in vna persona diuina esse aliquod rea-

le

le quod non in alia,ſunt tamen omnes perſonę æquales in perfectione quæ enim perfectio in patre eſt paternitas,eadem in filio & æqualis eſt filiatio. Quod ſi vna ab alia perſona mitti ſæpe dicatur,nulla tamen per hoc in Miſſa inuoluitur imperfectio, Miſſio nanq; huiuſmodi nil aliud dicit quam originis ordinem à mittente cum ſpeciali modo ſe habendi circa creaturas rationales per gratiam. Nunquam tamen poteſt mitti ſimpliciter vna perſona ſine alia, Immo quibuſcunque datur gratia iuſtificans,ad illos fit miſſio inuiſibilis.

DE DEO PRINCIPIO OMNIVM entium.

OMNE Ens, quodcunque reperiri poteſt ſiue corporeum,ſine corporis expers,ex nihilo productum eſt à Deo initio têporis ſex dierum ſpatio, virtus vero creandi cum infinitam virtutem in creante requirat, nulli creaturæ communicari poteſt. Inter omnia autem,quæ creata ſunt digniſſimam naturæ conditionẽ Angeli ſunt ſortiti. Summum malum dari nequit,atque adeo malũ ſemper eſt aliquod bonum carens alio bono, quod debebat habere, quare malũ ſecundum formam non eſt ens reale,ſed rationis.

24 Angelorum exiſtentiam,quam à priori demonſtrare non poſſumus,fide catholica tenemus,licet à poſteriori quibuſdam rationibus probari valeant. Eſt autẽ Angelus ſubſtantia creata incorporea,natura ſua incorruptibilis, habens duas potentias realiter diſtinctas, intellectum nimirum,& voluntatem, à qua ſi ſit efficax, non diſtinguimus potentiam executiuam. Componitur etiam Angelus ex ſubiecto & accidente,actu & potentia; eſſe; & eſſentia,ſuppoſito & natura, Quæcunque vero cognoſcunt non per diſcurſum,nec componendo, & diuidendo,ſed compoſita ſimpliciter,mobilia ĩmobiliter,immãliater intelligũt materialia.

25 Intelligũt angeli per ſuam eſſentiam ſe quidem perfecte, & Deum confuſe, reliqua omnia per ſpecies non à rebus acceptas,ſed ab ipſorum initio inditas luminoſas,quare intellectu agente non indigent,quo vero Angelus eſt ſuperior,eo per pauciores ſpecies eaſque vniuerſaliores plura & perſpicacius contuetur. Non tamen cognoſcunt infallibiliter futura contingentia,quæ ab aliquo agẽte libero impediri poſſunt, ſicuti neque effectus, qui aliquo modo à cauſa libera dependent, certo non poſſunt cognoſcere,immo neque cordium cogitationes. Myſteria item gratiæ non naturaliter, nec omnes æqualiter,aut omnia ſimul tempore cognouerunt.

26 Superioris hierarchiæ Angeli purgant,illuminant, & perficiunt inferiores. Illuminant vero proprie, dum agnitam veritatem de rebus diuinis alteri manifeſtant. Fit porro hæc illuminatio non imprimendo aliquam ſpeciem, ſed per conuerſionẽ ad inferiorem confortando intellectum eius,atque agnitam veritatem partiendo, Loqui præterea vnum Angelum alteri,nil aliud eſt,quam illi ſuos manifeſtare conceptus ordinando eoſdem ad eum,quem alloqui vult; Angelorum numerum magnum eſſe ex ſcriptura palam eſt, omnes præterea propriam conſtitue-

æ ſpeciem probabiliſſimum videtur.

27 Æuum, quod eſt menſura ſubſtantię Angelorum, cæterarumque rerum incorruptibilium, nullamque formaliter habet ſucceſſionem, proprie eſt duratio rei inuariabilis quidem ſecundũ ſubſtantiam, quæ tamẽ poſſit habere operationes ſibi inuicem ſuccedentes: quapropter etiam ſi Angelus fuiſſet creatus ab æterno, adhuc æuo menſuraretur, quo æuo non tantum ſubſtantia, verum etiam operatio, qua intelligit, amatq; ſe, & Deum, vt principium naturæ menſuratur; At vero viſio Angeli beatifica æternitate participata; Cæteræ vero actiones immanentes ſingulæ quidem inſtanti temporis diſcreti menſurantur, Iſtud item tempus diſcretum, ſicut & ipſum æuum formale intrinſece in ſupremo Angelorum, qui remanſerunt, exiſtit.

28 Angelus quoad ſuam ſubſtantiam vere eſt in loco, quoniam vero indiuiſibilis eſt, occupare locum nequit, ratio vero formalis eſſendi in loco eſt potentia actiua circa corpora, per cuius applicationem actu conſtituuntur in loco. Porro locus Angeli indiuiſibilis eſſe poteſt, & ſphæram ſuæ actiuitatis excedere non poteſt, cuius motus tam continuus, quam diſcretus in inſtanti fieri nequit. Sed vel tempore cõtinuo, vel duobus inſtantibus diſcretis, quando nimirum de loco ad locum trãſeunt ſine medio. Atqui fuerunt Angeli ab initio in tres hierarchias, ternis ordinibus conſtantes, diſtributi, & quidem in eis Deus ſimul erat condens naturam, & largiens gratiã ſecũdũ proportionem naturalium.

29 Inprimo inſtanti, quo Angeli fuerũt creati, omnes, & boni, & mali per ſupernaturalem conuerſionem meruerunt, quam non continuantes, mali in ſecũdo inſtanti ceciderunt; Boni aũt in primo actu perſeuerãtes per plenã deliberationẽ in ſecũdo inſtanti præmium ſunt conſequuti. Quo præmio accepto Angelus beatus ab intrinſeco ab actus ſcilicet beatifici natura nullam ad peccandum potẽtiam habet. Primus Angelus qui ceteris dæmonibus occaſio peccandi fuit, peccato ſuperbiæ deliquit, appetendo finalem beatitudinem per ſuam virtutem, vnde non præceſſit in illo practicus error, ſed tantum quædam inconſideratio, quocirca fuit peccatum commiſſionis ratione tamen omiſſæ circunſtantię; vnde igni perpetuo, alijsque pœnis addicti fuerunt.

DE DEO FINE CREATVRÆ RATIOnalis, deq; mediis, quibus hunc finem cõſequimur.

DE BEATITVDINE SVPERNATVRALI, ET HABItibus bonis, & malis.

30 HOMINIS Beatitudo ſupernaturalis, quæ in nulla re corporea conſiſtere poteſt, tria habet adiuncta, viſionem Dei, qui eſt vltimus finis noſter, eiuſdem amorem, ac delectationem, quæ inde conſequitur, præcipue tamen & eſſentialiter non in illapſu Dei in eſſentiam animę, nec in amore, ſed in actu intellectus, qui eſt clara Dei viſio, ex qua amor firmus, plenaq; delectatio fluunt, ſicq; ipſa eſt ſtatus omnium bonorum aggre-

aggregatione perfectus. Fruitio porro formaliter cum sit gaudium de fine expectato, & obtento ab intellectu, est actus voluntatis.

31 Voluntarium perfecte non in brutis, sed in homine reperitur, libertas item formaliter in voluntate est, quamuis ex intellectu, vt prima radice, oriatur. Voluntas præterea circa obiectum vltimi finis in patria est omnino determinata, & quo ad exercitium, & quo ad specificationem. In via vero respectu eiusdem obiecti est libera quo ad exercitium, non quo ad specificationem. At vero circa ea, quæ ad finem ordinantur vtrãque libertatẽ habet, & licet quoad actus imperatos violentiã pati voluntas possit, quo ad actum tamen ab ipsa immediate elicitum cogi non potest, licet Deus suauiter ipsam mouere possit.

32 Habitus acquisiti sunt, qui per actus humanos acquiruntur, infusi vero, qui ordinant actus potentiarum in finem supernaturalem, quare per actus humanos acquiri nequaquam possunt. Actus porro humani suam specificam bonitatem, vel malitiam non ex fine, vel ex circumstantijs, sed ex obiecto intrinsece petunt. Actus præterea ex genere malus per nullã circũstantiã fieri valet bonus, cũ tñ actus ex genere bonus per vnã malã circumstantiam vitietur. Nullus quoq; actus in singulari reperiri potest indifferens, qui nimirum nec bonus, nec malus moraliter sit.

33 Virtus perfecta, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, prima sui diuisione in virtutes intellectuales, & morales tribuitur. Prudentia, quæ est intellectualis auriga virtutum, virtutes morales non solum dirigit, in eligendo ea, quæ sunt ad finem, verum etiam ipsum finem præstituendo. Virtus moralis est habitus electiuus in medietate cõsistens, iuxta sapientis determinationem. Sunt porro virtutes in esse perfecto adeo inuicem connexæ in prudentia, vt, qui vnam habeat, reliquis non careat, & qui vnam amiserit, reliquas etiam, quantum ad esse perfectum virtutis, amittat.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

34 VItivm, quod virtuti cõtrarie opponitur, est quædam qualitas mala ex actibus malis profecta, ad similes actus inclinans, estq; contra naturam rationalem. Peccatum verò commode describitur, Dictum, factum, vel concupitum contra legẽ Dei, qua definitione Peccatum originale minime continetur, At vero peccatum Veniale, cum sit præter legem, secundario ibi cõtinetur, Atqui Peccatum formaliter non positiuum, sed priuationem boni dicit, materialiter vero actum, in quo (vt sic dicam) fundatur malitia. peccatũ præterea non modo, vt egreditur à voluntate, sed etiam, vt in ipsa recipitur, habet rationem peccati.

35 Peccata ipsa, vt actus voluntatis sunt, ab obiecto positiuo non autem ab ipsius obiecti priuatione, vel à circumstantijs, per se primo speciem sumunt. Peccati subiectum est ipsa voluntas Actus vero externi, non vt sunt a membris externis, sed vt membra à voluntate mouentur, sunt peccatum, quare omnes illæ potentiæ, quæ possunt moueri ad suos actus, à voluntate, sunt subiecta peccatorum, quales sunt intellectus, & appetitus sensitiuus; Cuius motus primo primi ad peccatum nobis non imputan-

tantur,motūs vero ſecundo primi,qui aliqua ratione præueniri poterant,ſunt tantum peccata venialia,qui vero ſequuntur iudicium rationis,ſi ſint circa materiam mortalem,ſunt quidem mortalia.

36 Deus optimus,cum ſit bonitas infinita,cauſa directa,vel indirecta peccati,eſſe omnino non poteſt. Eſt tamen cauſa illius actus poſitiui, qui eſt in peccato,defectus vero ille eſt à cauſa creata defectibili.Hoc tamen non officit,quin malum pænæ in Deum,vt in cauſam referatur.Potentia quoque peccandi,vt reſpicit actum poſitiuum,eſt à Deo. At vero defectibilitas potentiæ eſt ex ipſamet creatura,quæ non cōtinet omne bonū. Diabolus hominibus cauſa peccandi directa,& ſufficiens non eſt,ſed tantum indirecta, interius ſuggerendo,& proponendo obiectum malum,cui dum voluntas conſenſum præbet,conſummat peccatum.

37 Effectus præcipui peccati tres ſunt,Primus corruptio boni naturæ;immo ex peccato primorum parentum fuit homo expoliatus gratuitis; & vulneratus in naturalibus.Secundus eſt macula, quæ non eſt quid poſitiuū,nec ſola priuatio,ſed eſt defectus ex receſſu à lumine rationis proueniens.Tertius eſt reatus pænæ æternæ,ſi ſit peccatum mortale,ſin vero ſit Veniale,quia non auertit ab vltimo finė,inducit tātum reatum pænæ temporalis Quod ſi veniale in Inferno reperiatur iunctum cum mortali,æterna pœna punietur. Peccatum quoque numquam eſt pœna per ſe peccati.

38 Peccatum mortale diſtingui à Veniali nemo catholicorum dubitat. Eſt enim mortale contra legem Dei,quare expellit charitatem, veniale vero præter legem,& tantum feruorem charitatis minuit, diſponitq; ad mortale.Hinc fit,vt peccatum analogice de mortali, & veniali dicatur. Hoc tamen peccato veniali Homo in ſtatu innocentiæ nō potuiſſet peccare,antequam committeret mortale,ſicuti etiam Angeli, neq; boni; neq; mali,venialiter delinquere poſſunt.

DE PECCATO ORIGINALI.

39 PECCATVM Originale,quod formaliter eſt auerſio voluntatis cuiuslibet hominis à Deo per modū habitus,infixa naturæ voluntaria volūtate primi parentis,eſt verè,&propriè peccatū,transfuſum nō modo in filios.infideliū,verū etiam in pueros ex baptizatis parentibus ortos.In Baptiſmate vero per meritum vnius Domini noſtri IESV CHRISTI, qui nos in ſuo pretioſiſſimo SANGVINE reconciliauit,totum id,quod veram, & propriam rationem peccati originalis habet,aufertur.Fómes tamen,qui in renatis peccatum non eſt,manet in eis relictus ad agonem.

40 Huius porro peccati contagio adeo in poſteros, non per morbidam qualitatem in ſemine,ſed per ſemen,quo anima à Deo creata ſit pars humanæ naturæ,pertranſijt. Vt fide catholica firmiter ſit credendum omnes ex ſemine propagatos originale peccatum contrahere,ſi tamen Beatiſſimam Virginem Deiparam Mariam excipias, de cuius immaculata conceptione in hoc templo ad vitanda circumſtantium ſcandala diſputare nolumus.Quod ſi Eua peccante Adamus ſtetiſſet, peccatum originale

nale in posteros deriuatum non fuisset.

41 Subiectum huius culpæ originalis non est nisi in anima, & per prius in essentia, quam in potentijs, estq; hoc peccatum, sicuti pœna per se huius peccati, in omnibus hominibus æqualis; Pœnam tamen per accidens nihil prohibet esse inæqualem, tum ex subiecto, tum etiam alijs ex causis à diuina prouidentia prouisis. Paruulis vero cum solo originali decedentibus nulla pœna sensus infligitur. Carent tamen beatifica visione. Ex cuius carentia, Diuina disponente pietate, nullam capiunt tristitiam. Ipsorum quoq; locus post resurrectionem forte ex Dei misericordia erit mundus hic inferior.

DE LEGIBVS.

42 LEX est quædam rationis determinatio ad bonum commune ab eo, qui curam Reipublicæ habet, promulgata, & proprie in intellectu est. Cum vero lex est solenniter promulgata, obligat vniuersos, etiam inuincibiliter ignorantes, licet hi excusentur à culpa. Neq; lex in vno regno lata obligat omnia regna eiusdem Regis, nisi in singulis promulgetur, leges tamen summi Pontificis satis est si Romæ promulgentur, & exinde vim habet, quo ad recisionem cōtractus, etiam respectu eorum, qui ignorant. Quod si leges sint reuocatoriæ priuilegiorum, vim non habēt, etiam post solemnem Romæ promulgationem, quousque sint non tantum in prouincia, sed etiā Diœcesi ꝓmulgatę, aut de ijs certa notitia habita.

43 Lex optima ratione tribuitur in Æternam, Naturalem, Humanam, legem etiam veterem, & nouam Euangelicam. Lex æterna est ratio totius vniuersi gubernatiua in mente diuina existens. Participatio vero huius legis in homine est lex naturalis, ea principia continens, quæ absq; discursu lumine naturali per se nota sunt. Dispositiones autem particulares ex his principijs pro tempore, & loco per rationis discursum deductæ sunt leges humanæ. Lex porro dirigens hominem ad actus proprios in ordine ad finem supernaturalem, diuinitus data, in legem veterem, & Nouam distinguitur, sicut in imperfectum, & perfectum in eadem specie.

DE GRATIA DEI.

44 LIBERVM Hominis arbitriū post Adæ peccatum extinctum non est, viribus tamen attenuatum, & debilitatum, quare in statu naturæ lapsę omnem veritatem tam practicam, quam speculatiuam cognoscere non possumus, neq; omnia opera bona etiam nostræ naturæ proportionata, neque præcepta omnia Decalogi implere. Neq; Deum super omnia diligere, vel vt finem naturalem, vel vt finem supernaturalem, Neq; sperare, & credere mysteria fidei certo & infalibiliter, Neq; disponere nos sufficienter, & proxime ad gratiam iustificantem, neq; resurgere à pec-

cato, neq; perſeuerare in gratia, niſi auxilio ſpeciali Dei adiuti, quod tamen facientibus quod in ſe eſt, minime deeſt. Aliquas tamen veritates cognoſcere tum ſpeculatiuas, tum practicas morales, aliquod etiam bonum morale ſine auxilio ſpeciali præſtare poſſumus.

45 Sicuti homo exiſtens in peccato mortali ſingula peccata mortalia vitare poteſt, non tamen diu manere poteſt abſq; nouo peccato mortali, ita iuſtus quamuis ſingula venialia vitare queat, totam tamen vitam ſine aliquo veniali traducere haud poteſt, abſq; ſpeciali priuilegio, quale conceſſum fuiſſe Beatiſſimæ virgini neceſſario eſt fatendum. Gratia porro iuſtificans eſt qualitas quædam ſpiritualis, animæ eſſentiæ inhærens, à caritate realiter diſtincta, ex potentia animæ obedientiali educta à ſolo Deo principaliter, qua homo conſors fit diuinæ naturæ.

46 Ad hanc gratiam habitualem requiritur in adultis de lege ordinaria aliqua diſpoſitio, nimirum actus bonus liberi arbitrij moti, & adiuti à Deo, per quem liberè mouebitur in Deum ipſum; De potentia tamen Dei abſoluta non repugnat, peccatorem adultum recipere poſſe gratiam ſine actuali diſpoſitione, & conuerſione. Gratia præterea iuſtificans, quæ ſtatim, & infallibiliter à Deo datur perfecte diſpoſito, confertur non omnibus æqualiter, ſed ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus ſingulis partitur, pro vt vult, & ſecundum propriam cuiuſq; diſpoſitionem, & cooperationem. Citra reuelationem tamen nemini mortalium abſque Dei priuilegio conſtare poteſt, ſe eſſe in gratia, neq; certitudine fidei catholicæ, neq; fide infuſa, cui non poſſit ſubeſſe falſum, neq; morali certitudine omnem hæſitationem depellente, quamuis magnæ coniecturæ iuſtis non deſint, quæ animam tranquillam reddant.

47 Huius gratię duo præcipui ſunt effectus. Iuſtificatio, & Meritum. eſt autem Iuſtificatio, non ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, Cuius iuſtificationis cauſa formalis eſt iuſtitia nobis formaliter inhærens, meritoria, & exemplaris Chriſtus homo. Inſtrumentalis ſacramenta. Adminiſtra Sacerdos, finalis proxima vita noſtra æterna. Prima tamen cauſa efficiens, & finalis Deus optimus eſt. Poſſet tamen Deus de potentia abſoluta ſine infuſione gratiæ habitualis dimittere peccatum, non tamen abſq; eo, quod homo fieret gratus Deo.

48 Fides ſupernaturalis ſemper ad iuſtificationem fuit neceſſaria, ipſa tamen ſola, nec iuſtificat, nec in iuſtitia conſeruat, immo inter ea, quæ ad iuſtificationem concurrunt, non tenet principem locum, ſed charitas, vel pœnitentia cũ charitate. Ad iuſtificationẽ etiam non ſufficit ſola reſipiſcentia nouæ vitæ, ſed etiam requiritur deteſtatio peccati. Iuſtificatio præterea, quæ fit in inſtanti, & aliqua ratione maximũ Dei opus dici poteſt, ſpecificationẽ ſuã non à remiſſione peccatorũ, ſed à iuſtitia ſumit

49 Meritum hominis iuſti eſt actio libera, cui ex iuſtitia debetur prӕmium ſuppoſita gratia, Iuſtus autem per opera ſua ex libero arbitrio, & gratia Dei profecta vitam æternam, & gratiæ augmentum, de condigno meretur. Actus porro meritorius, quo ad ſubſtantiam actus, principalius eſt à voluntate, quoad rationem tamen meriti principalius eſt à gratia, quæ per charitatem præcipuè eſt principium meriti. Non requiritur autem ad meritũ alia acceptatio Dei extrinſeca, ſed ſufficit gratia habitualis,

vt ope-

vt opera iusti condignitatem habeant; ex Meritis tamen Christi nostra merita efficaciam habere certum est.

50 Auxilium speciale, ad hoc, vt opus sit meritorium, requiritur, quod tamen à Christo capite suis membris iustis communicatur. Probabilissimum quoq; mihi est, omnia opera iusti moraliter bona esse meritoria, nec vllũ actum ipsorum reperiri indifferentem ad meritum. Per illas etiã dispositiones, quę simul in eodem instanti cum infusione gratię sunt, iustus meretur de condigno gloriam correspondentem illi primæ gratiæ. At vero primam gratiam nemo potest mereri de condigno, immo neq; de congruo per actus mere naturales, Reparationem quoq; post lapsum Perseuerantiam, & auxilia specialia, nec de cõdigno, nec de cõgruo quisquã sibi mereri potest; duo tamen vltima per orationẽ impetrari queũt.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

51 EX Gratia gratum faciente, quæ perficit essentiam animæ, virtutes infusæ, & Dona fluunt ad potentias inclinãtes eam ad finem supernaturalem; Atqui virtutum infusarum quædam Theologicæ, quæ Deum habent pro obiecto, quædam morales. Theologicæ tres tantum, Fides, Spes, & Charitas, suntq; habitus potentijs inhærentes. Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparẽtium, cuius forma est charitas, sine qua licet in peccatore nõ solũ fides, sed et spes esse possit, sine illa tamen virtutes perfectæ non sunt. Subiectatur autem fides immediate in intellectu, sine qua impossibile est credere omnes articulos fidei, nec tamen reijcio fidem acquisitam, quæ sæpe præcedit infusam.

52 Fidei obiectum materiale sunt omnes articuli fidei, præcipuum Deus, vt Deus, formale Prima, & Diuina veritas reuelans. Ad credendum porro articulos fidei ex parte potentiæ necessarium est Auxilium Spiritus sancti mouens, ex parte obiecti requiritur proponens infallibiliter, & hic est Ecclesia Christi visibilis, Cuius authoritas in proponendo nõ humana, sed diuina est, requiritur etiam quædam pia affectio, & imperium voluntatis. Vltima tamen fidei catholicæ resolutio, non in authoritatem Ecclesiæ, nec in fidem acquisitam, sed ex parte potentiæ in lumen fidei fieri debet, ex parte obiecti in diuinam, & Primam veritatem reuelãtem. Deus enim optimus, nec per se, nec per alium mentiri potest.

53 Habitus fidei, & scientiæ simul esse possunt in eodem de eadẽ re, actus vero istorum habituum simul esse nequeunt in eodem intellectu. At vero vnus idemq; actus ab istis duobus habitibus fidei, & scientiæ simul produci potest, qui erit euidens euidentia scientiæ, & certus certitudine fidei, hic tamen actus, nec fidei propriè, nec scientiæ erit, sed tertij cuiusdam generis. Ea Item quæ propriè per se, & principaliter, ad fidem pertinent, qualia sunt supernaturalia, à nobis ratione naturali demonstrari non possunt, ac proinde neq; sciri.

54 Hæc Diuina virtus nullibi preterquam in Ecclesia reperitur. Est autem Ecclesia cœtus hominum in veram vnius Dei, vniusq; propitiatoris fidem, & legitimum eius cultum consentientiũ. Hæc non ex solis prædestinatis, & iustis conficitur, sed multos etiam continet in se mortali cri-

mine

mine inquinatos, excommunicatos, & aliquando schismaticos, non tamen hæreticos, quos Ecclesia iure suo iudicare, & punire potest. Cathecumeni vero licet careant Sacramento fidei, si tamen fidem Sacramenti habeant, pertinent ad Ecclesiam, vt Ecclesia dicit tantum collectionem fidelium; Est item Ecclesia, quæ incæpit tempore legis naturæ, & durabit vsq; in finem sæculi, Vna, eademq; Sancta, Catholica, & Apostolica.

55 Ecclesia Christi est verè sensibilis, & visibilis. Hanc autem fide Catholica tenendum est esse eam, quæ sub obedientia Pontificis ROMANI manet, extra quàm salus esse non potest; Signum vero visibile huius Ecclesiæ cessantibus miraculis hoc esse asserimus, quod hæc Ecclesia solà veros, & legitimos habet ministros, qui suam originem ex veræ, & incorruptæ historiæ monumentis, ad Apostolos referant, à quibus per legitimas, & continuatas ordinationes ortum duxerunt, atq; ideo sola puram Euangelij doctrinam, & legitimum Sacramentorum vsum docet.

56 Eadem hæc Ecclesia vniuersalis, & Catholica sicut numquam defecit, nec deficere potest à fide, ita neq; in definiendo res fidei, vel morum, imò neq; in canonizatione Sanctorum, neq; in approbatione religionū errare, vel decipere potest. Huius Ecclesiæ Caput Christus est, & in terris eius Vicarius, Episcopus Romanus, D. Petri successor, qui totius Ecclesiæ militantis constitutus est Pastor Vniuersalis, à Christo domino immediate hanc habens potestatem, & quamuis Apostoli à Christo domino immediate potestatem, quàm habuerunt, receperunt, D. Petrum tamen vt suum superiorem semper agnouerunt.

57 Ad eundem Romanum Pontificem spectat Concilium vniuersale congregare, nec modo honorarie, sed authoritatiue illi præsidere, vel per se, vel per legatos, Ad Concilium vero vniuersale omnes fideles cogendi non sunt, sed tantum Prælati maiores, qui simul coacti authoritatem à Christo non immediatam, sed mediatam, & à summo Pontifice dependentem habent, in rebus etenim fidei, & morum, sine summi Pontificis authoritate deficere posset Concilium, quam tamen si amplectatur, vniuersalem Ecclesiam repræsentat, omniaq; eius decreta infallibilem vim habent post confirmationem à summo Pontificem factam.

58 Spes secunda ex Theologicis Voluntatem pro subiecto, Beatitudinē vero æternā pro obiecto habet. Speramus autem beatitudinis adeptionem ex gratia, & meritis, quare neq; in Beatis, neq; in damnatis, sed tātū in viatoribus hæc virtus reperiri potest. Charitas vero præstantissima virtutū voluntati, tanquā subiecto inhærens, à Deo immediate infusa, reliquarū omniū forma, nō est ipse Spiritusanctus in cordibus nostris inhabitans, sed quid à Deo creatū, cuius obiectū formales est Bonitas diuina.

59 Charitas, vt in se est, nullo clauditur termino, sed in infinitum crescere potest. De lege tamen ordinaria (quem charitatis gradum de facto Christi charitas habuit) terminus illi, quem non possit excedere, præfixus est à Deo, per peccatum mortale amittitur, per veniale vero non nisi eius feruor minuitur. Et quamuis charitatis habitus non augeatur per actus remissiores, per quemlibet tamen actum meritorium meretur iustus augmentum gratiæ, & charitatis, suo tempore reddendum, cum fuerit nimirum sufficienter dispositus. Actus item, & feruor charitatis illa tantum venialia remittit, quibus est contrarius.

60 Rest

60 Restitutio est actus iustitiæ particularis cõmutatiuę, quo redditur alteri, quod suũ est, vel quod ei lege veræ iustitiæ debebatur in bonis animæ, vel corporis, vel fortunæ. Fit autem non modo in actibus iustitiæ cõmutatiuæ, sed etiam distributiuæ. Satisfactio vero quamuis ad iustitiam commutatiuam pertineat; à restitutione tamen multipliciter differt. De fide porro est, necessariá esse ad salutem restitutionem eorum, quæ iniuste sunt ablata, vel iniuste detinentur. Huius restitutionis præceptum idem est cum præcepto, quo furari prohibemur.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

61 ADMIRABILIS Verbi Dei incarnatio est substantialis vnio naturæ humanæ cum verbo, qua à Verbo dependet in subsistendo, vt eadem sit subsistẽtia, qua verbum, & humana natura subsistunt, & licet mysterium hoc lumine naturali cognosci non possit, lumini tamen huic minime repugnat. Quare & possibile fuisse, & diuinæ bonitati, iustitiæ, & sapientiæ, maxime conueniens existimandum est.

62 Hanc vnionem & si confiteamur factam, vt genus humanum à Demonis tyrannide per salutiferæ mortis œconomiam liberaret, eam tamen sententiam, quæ verbum carnem sumpturum asserit, etiam non peccante Adamo, tanquam probabilissimam amplectimur. Fuit porro hæc incarnatio conuenientissima, vt Christus Dominus Deo Patri pro nostris, totiusq; mundi delictis, non ex acceptatione paterna, sed de rigore, vt aiunt, iustitiæ, satisfaceret.

63 Verbum per hanc hypostaticam vnionem nihil mutatum est, sed tantũ natura humana per Dei actionem ad altiorẽ statum euecta, vt scilicet sola verbi subsistentia niteretur. In Christo præterea vnum tantum esse existentiæ asserimus à verbo communicatum. Ipsa quoq; persona verbi vere secundum conceptus formales (vt Patres loquuntur) est composita ratione duarum naturarum, quæ in illa sunt, licet in se simplex esse non desinat ex hac vnione non ens per accidẽs, sed absolutum, & per se, resultat nempe Christus Deus homo. Hanc ineffabilem vnionem tota Trinitas operata est, sed solum verbum Caro factum est.

64 Gratia vnionis, nempe Verbo Dei personaliter vniri, est infinita. Gratia vero Christi habitualis eiusdem speciei cum nostra in esse qualitatis est finita, sed in tanta plenitudine, vt vix percipi possit, in esse tamen gratiæ est infinita. Siquidem gratia Christi fuit gratia capitis. Vnde non solum sibi meruit gloriam corporis de condigno, sed etiam nobis per suum Sanguinem meruit de condigno gratiam, gloriam, & auxilia specialia.

65 Tres scientiæ præter increatam reperiuntur in Christo, altera Beata, qua videt non solum omnia, quæ scientia visionis videtur, sed innumera quoq; ex ijs, quæ scientia simplicis intelligentiæ continentur, non tamen omnia. Altera infusa, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas, & has ambas ab instanti suæ conceptionis accepit. Tertia experimentalis acqui

fita per inuentionem, non ab alijs accepta.

66 Christus, secundum quod homo, non est prædestinatus ad gratiam, & gloriam habitualem, sed ad vnionem hypostaticam, vt videlicet sit filius Dei naturalis. Prædestinatio vero Christi, non secundum actum prædestinantis, sed quoad effectum, est causa nostræ prædestinationis, in genere causæ exemplaris, efficientis, & finalis Immo sacramenta ipsa virtute omnium operum Christi, & præcipue Passionis, efficaciam habent. Dolores porro, quos Redemptor noster pro nobis, cum adhuc inimici essemus, Deo Patri obtulit, omnium præsentis vitæ dolorum maximi fuerunt.

67 Beatissima MARIA inter puras creaturas fuit nobilissima, Deoq; maxime Dilecta, Dei præterea matrẽ constantissime eam fatemur, Virginitatẽq; perpetuã non solũ seruasse, sed etiam domino voto consecrasse, & post maximum doloris sensum, quo veluti gladio acutissimo in Dominica passione transuerberata fuit, (qua ratione eam licet non corpore, animo tamen plus quam martyrem dicere possumus) in Cælum corpore, & anima, ad Dexteram filij, super omnes Angelorum choros, vbi vultui Christi astat pro nobis, exaltatam asserimus.

DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ.

68 SACRAMENTA Nouæ legis à Christo Domino instituta, & gratiam in anima ex opere operato, vt instrumenta in genere causæ naturalis producentia, septem esse, nec plura, nec pauciora, fatemur. Suntq; signa rei sacræ sensibilia, ex determinatis rebus, verbisq; tanquam materia, & forma constant. Sicut autem in statu innocentiæ non esse; ita in reliquis esse omnino debuerunt. Habent præterea communem, vniuocamq; definitionem tam sacramenta, quæ Christum præcesserunt, quam illa, quæ à Christo instituta sunt. Sicut autẽ sacramenta ante Christũ nulla ratione gratiæ producẽdæ instrumẽta erant, ita sacramẽtorũ Christi virtus ministri malitia non amittitur; in ipsis tamen ministrorum intentio requiritur.

69 Gratia sacramentalis supra virtutes, & dona auxilium quoddam speciale, ad effectum sacramenti præstandum, addit. Virtus porro Sacramentorum gratiæ productiua, non est quædam qualitas distincta, sed motio ipsa, qua à principali agente Deo mouentur. Effectus alter sacramentorũ est character, qui tantum in Baptismo, Confirmatione, & Ordine; indelebiliter imprimitur in anima, cuiq; sit potestas quædã ad fidei mysteria protestãda, non in essentia animæ, nec in voluntate, sed in intellectu, subiectatur.

70 Baptismus, omnium Sacramentorum ianua, à Christo Domino in Iordane institutus, post eius resurrectionem cæpit obligare; Delet autem non modo originalis, sed actualium omnium, si quæ inuenit, reatus. Cuius materia est aqua; forma. Ego te baptizo &c. Minister, ex officio sacerdos, in casu tamen necessitatis omnes baptizare possunt: Cõfirmationis porro minister ordinarius est solus Episcopus, licet summus Pontifex munus

munus hoc simplici Sacerdoti demādare valeat. Materia eius est vnctio ex chrismate facta, forma, signo te signo. Crucis &c.

71 Eucharistia, omnium Sacramentorum dignissimum, fuit à Christo in memoriam suæ passionis instituta. In qua non solum sub diuersis speciebus, verum etiam sub qualibet speciei parte, Christus integer cum tota sua quātitate, eademq; partium distantia, quam in cælo habet, sine vllo tamen ordine ad locum, continetur. Quocirca huic diuinissimo Sacramento cultus latriæ, soli Deo debitus, ab omnibus est exhibendus. Missæ porro sacrificium, in quo Christus incruente immolatur, non est tantum nuda commemoratio sacrificij cruenti in Cruce peracti, sed etiam propitiatorium. quare pro viuis, & defūctis, pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus, offerri potest.

72 Pœnitentia, secunda tabula post naufragium, est Sacramentum remittendi peccata post baptismum. Neq; sola forma est signum, & causa gratiæ, sed etiam materia ratione formæ. Eius materia proxima sunt actus pœnitentis, contritio nimirum, confessio, & satisfactio, quorū actuum materia remota, & necessario in confessione aperienda, sunt peccata mortalia detestandà, sufficiens vero, sed non necessaria, sunt venialia; forma, ego te absoluo; Minister est solus Sacerdos, in quo, vt rite absoluat, requiritur iurisdictio. Hoc præterea Sacramentum potest sæpius iterari. Vnde patet, eos, qui asserebant hominem semel lapsum iterum reparari non posse, multum à fide Catholica distare.

73 Extremæ Vnctionis effectus tres potissimi recensentur, collatio gratiæ, peccatorum remissio, & infirmi alleuiatio. Eius materia est oleum ab Episcopo benedictum, Minister solus Sacerdos. Ordo vero sacer toti Ecclesiæ necessarius, ab Episcopo solo ad verum Christi Corpus, & sanguinem consecrandum, & peccata populorum soluenda, ac retinenda, conferri potest. Matrimonium Deniq;, in lege noua verè Sacramentum à Christo institutum, omnibus non ponentibus obicem ex opere operato confert gratiam. Impedimenta vero matrimonium dirimentia iure optimo ab Ecclesia constitui possunt. Et licet Coniugalis status suam habeat dignitatem, Cælibatus tamen & Virginitatis statu longe inferior est.

PROBLEMATA THEOLOGICA.

74 AN Paulus, & Moyses viderint Deum per essentiam.
75 An Beati in patria forment Verbum, dum vident Deum.
76 An Deus cognoscat infinita scientia visionis.
77 An post quam Deus voluit aliquid, remaneat in eo libertas realis ad volendum oppositum.
78 An pater volens genuerit filium.
79 An Spiritus sanctus procedat liberè, vel naturaliter.
80 An Ecclesia inceperit. ab Adam, vel ab Abel.
81 An Deus clare visus sit finis noster naturalis, vel supernaturalis.
82 An pura omissio, sine actu voluntatis præcedente, vel concomitante, dari possit.
83 An infusio gratiæ sit prior natura motu liberi arbitrij.

84 An dispositiones gratiæ,ex auxilio speciali profectæ sint meritoriæ primæ gratiæ de congruo.

85 An puer obligetur in primo instanti usus rationis côuertere se ad Deum sub pœna peccati mortalis.

EX PRIMA PHILOSOPHIA.

DE ENTE EIVSQVE DIVISIONIBVS.

86 PHILOSOPHIA, Quæ à Platone humanarum, diuinarũ que rerum cognitio dicebatur,prima sui diuisio ne in speculatiuam, & practicam diuiditur, sub practica Ethica, Politica, & œconomica continentur. Speculatiua vero,cuius finis in veritatis contemplatione consistit, in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicas tribuitur,quarum omnium Dignissima est Metaphysica; Cuius obiectum recte ens,vt ens,cõstituitur. Id quod de Substantia, & Accidente, de Deo item,ac rebus creatis,nec vniuoce,nec æquiuoce,sed analogice,dicitur.

87 Practici autem,& speculatiui differẽtiæ,quibus diuisa est Philosophia, sunt illi differentiæ essentiales.Nec tamen illæ differentiæ adæquate,& proxime diuidũt Philosophiam,vel scientiam, sed habitum intellectus, quo verum certo cognoscitur. Scientiæ porro speculatiuæ secũdum naturam priores,certiores,præstantioresq; practici sunt.Est autem Praxis operatio hominis,quæ arbitrio, voluntatiq; eius subest, & cum errori subiaceat, indiget homo quodam habitu in intellectu practico, à quo praxis dirigatur.

88 Entis vniuersalissime sumpti prima diuisio est in ens Reale, & Rationis. Hoc vero cum æquiuoce sit ens,ab obiecto Metaphysicæ merito reijcitur. Entia porro rationis ea proprie dicuntur, quæ cum non sint in anima, neq; extra animam, sequuntur tamen rem cognitam ab anima,& esse obiectiuum habent in intellectu. Est autem ens rationis triplex,nimirum Negatio,Priuatio,& Respectus rationis.

89 Diuisio entis realis,qua in ens per se,& ens per accidens,tribuitur, est æquiuoca,atq; ideo prior ea, qua ens in finitum, & infinitum distribuitur. Hoc autem ens per accidens,cum non vnum,sed multa entia complectatur, ab omnibus scientijs reiicitur. Quare omisso ente per accidens,ens per se prius diuidatur,oportet,in ens habẽs passiones,& quod passionibus caret,quam in ens finitum, & infinitum,Entis porro, quod passiones habet,proxima diuisio est,qua in finitum & infinitum distribuitur. Id quod initio Metaphysicæ subiectum constituimus.

90 Vt autem cæteras entis diuisiones omittamus; Ens finitum immediata diuisione in Naturam,Modum,& Partes,diuidi commode potest. Natura in Decem categorias, quarum quædã realiter,vt substantia,& quãtitas,quædã ratione raciocinata tantum distinguuntur, vt relatio à suo fundamento proximo, & actio à passione. Modus autem in vniuersum in esse per se,& esse in alio.Partes in Metaphysicas,Physicas,Integrales & Graduales. Nullum autem ens suam essentiam in indiuisibili gradu

cen

constitutam habens potest augeri, vel perfici essentialiter; Entibus vero suum esse in quadam latitudine habentibus addi gradus,& perfectio in infinitum potest.

91 Idemq; ens reale,subiectum Metaphysice,in ens necessarium distribuitur,& cōtingens,de quibus analogice dicitur; Quæ tamen diuisio essentialis, est enti. Cum autem esse de nullius essentia, nisi Dei Opti. Max. sit, fit, vt tantum Deus necessario existat. Cetera vero quoniam à Deo dependent, contingentia sunt. Radix contingentiæ in corporibus naturalibus est materia,in actionibus vero liberis est voluntas,& quidem prçcipua radix contingentiæ in Deum,eiusq; summā efficatiā, magis quam in caussas secundas referenda est.

92 Postrema entis diuisio, est qua vniuoce tribuitur in actum, & potentiā Quæ membra non ratione raciocinante solum, sed interdum ratione raciocinata,vt quantitas respectu figuræ,interdum realiter distinguuntur, vt materia, & forma. Sunt actus & potentia semper in eodem genere Porro præter potentiam subiectiuam,vel productiuam nulla alia obiectiua constituenda est. Distinctionum genera duo sunt,rei nimirum,& rationis. Hæc distinctio rationis,si fundamentum habeat in re, appellatur raciocinatæ,siue formalis,sin autem eius fundamentum in nostro modo concipiendi sit,appellatur raciocinantis. Distinctionem vero formalem sine intellectus operatione,vel modi, à natura distinctam à prædictis nō admittimus.

93 Existentia cuiuslibet rei est modus eius,quo actu est extra nihilum, est autem essentia longe nobilior existentia, & quidem ipsis singularibus, & compositis,primo,& per se competit, secundum quid autem vniuersalibus,& partibus,quæ in totis existunt. Comparatur porro ad essentiā existentia,sicut actus ad potētiam, & quamuis in Deo omnino identificentur essentia & existentia,suppositum, & natura,in creatis tamen ista non tantum ratione, sed realiter distinguuntur, non quod sint duæ res diuersæ, sed quia seclusa omni operatione intellectus,reperitur inter illas differentia. Et hanc antiqui merito cum Aristotele distinctionem appellabant realem. Iuxta modum tamen loquendi recentiorum illam formalem seu rationis raciocinatæ,possumus appellare.

94 Sicut ab essentia sumitur hoc transcendens Res, ita ab existentia sumitur,Ens significat tamen idem vtrunq; nomen diuersa tamen ratione. Natura est id,quo aliquid constituitur in esse talis speciei,suppositum vero est substantia completa,indiuidua, per se subsistens,nec alio indigens. Habent autem se Natura,& suppositum,sicut includens,& inclusum,natura enim præcise sumpta operationum non est capax,& subsistentia caret, suppositum vero vtrunq; habet, & dicitur id quod habet naturam cum his accidentibus,& hac materia.

95 Constituitur porro natura indiuidua in esse suppositi per subsistentiā debitam tali naturæ,quæ subsistentia tantum abest, vt sit extrinseca supposito,quin potius est illi essentialis,Existentia vero,& subsistentia, neq; sunt omnino idem, neq; omnino diuersa,sed habent se, vt superius,& inferius, subsistentia namque existentiæ addit talem modum essendi nimirum per se.

DE PASSIONIBVS, ET SPEciebus entis.

96 PASSIONES Entis,quæ non realiter ab ente,ſed formaliter dumtaxat,diſtinguuntur,exprimunt aliquem entis modum,quem conceptus entis præciſe ſumptus diſtinctè nõ exprimit. Sunt autem tantum tres, vnum verum bonum eodem ordine conſtituendæ,& quidem ens de ſuis paſſionibus,vltimis rerum differentiis,modisq; intrinſecis,non identice ſolũ, ſed & quidditatiue prædicatur.

97 Vnum tranſcendentale non ſignificat meram negationem diuiſionis, neq; ſui ipſius connexionem,ſed eſt ens,vt ſtat ſub indiuiſione. Quo circa materiale vnius eſt poſitiuum,formale vero eſt negatiuum.vnum numerale addit ſupra ſubſtantiam corpoream eſſe indiuiſum, à quantitate continua fluens. Diſtinguitur porro vnum numerale à tranſcendentali, ſicut quantitas ab ente. Aliquid vero tranſcendens ſupra indiuiſionem vnius diuiſionem ab alio quolibet addit.

98 Cum autem duplex vnitas ſit tranſcendentalis, & predicamentalis, ſi de priori loquamur,quælibet res,ſiue materialis, ſiue immaterialis,eſt indiuidua per ſuam eſſentiam. Atq; adeo principium eſſentiæ realiter exiſtẽtis in particulari ſumptum eſt principium huius indiuiduationis. Sin autem de vnitate prædicamẽtali ſit ſermo, neq; hæcceitas, neq; quantitas, ſed materia ſignata eſt principium indiuiduationis, quod quidem Ariſtotelis principijs eſt valde conforme, immo plurificatio in eadem ſpecie eſt etiam à materia ſignata.

99 Veritas,paſſio entis,non eſt pure quid abſolutum,nec pure relatiuum, ſed abſolutum cum relatione,& formaliter ipſum ens ſignificat, cum tranſcendentali relatione conformitatis, & adæquationis rei, cum ratione formali ipſius rei in mẽte diuina. Eſt autem iſta relatio rerum exiſtẽtium ad intellectũ diuinũ relatio menſuræ paſſiuæ,&eſt realis,&ab ente, cũ quo conuertitur,minime diſtincta realiter,ſed tantum formaliter.

100 Bonitatis ratio conſiſtit in virtute quadam ad perficiendum, quæ poſterior ſecundum rationem perfectione eſt,prior autem appetibilitate, tanquam eius fundamentum. Quare neq; omnino abſoluta eſt, nec relationem,ſecundum eſſe intrinſece,claudit, dicit tamen relationem quãdam tranſcendentalem,ſecundum dici. Bonum præterea, ſicut eſt idem realiter cum ente,ita non niſi ratione diſtinguitur à Perfecto, pulchro, & fine. Immo ratio,qua finis mouet,eſt ipſum Bonum.

101 Accidens,quod ratione,cognitione,tempore, & natura, poſterius eſt ſubſtantia,licet ſit vniuocum ad nouem prędicamenta accidentium,quia tamen illorum quidditates formaliter non ſignificat, non eſt genus ad illa. Habet tamen accidens ſuam exiſtentiam diſtinctam à ſubſtantiæ exiſtentia. Aptitudinalis porro inhærentia, & non actualis, eſt de ratione formali ipſius accidentis.

102 Subſtantia ſenſibilis in materiam, formam, & compoſitum diuiditur. Forma prior eſt,atq; perfectior materia,vtraq; vero perfectius eſt compoſitum,& licet rei quidditas indiuiſibilis,vt numerus,videatur, nihil tamen

men obstat, quin ex multis gradibus metaphysicis componatur; In qua negamus totidem esse formas, quot attributa essentialia reperiuntur. Quidditatem præterea non in sola forma sitam esse, non solum vere, sed etiam Aristotelice, asserimus.

103 Deus optimus, vt Aristoteles probat, est vnus, & indiuisibilis, nullamq; prorsus habet magnitudinem, Immotusq; manens dat cuncta moueri, & quidem ex Aristotelis sententia omnia mouet tanquam finis, sed primũ mobile mouet etiam, vt efficiens, non quidem immediate, sed media intelligentia.

104 Deum quoq; esse infiniti vigoris intensiue, esse vbiq;, omnia etiam singularia cognoscere, non solum vera Philosophia docet, sed etiam ex Aristotele manifeste colligitur. Quod etiam Aristoteles docuit, Deum esse causam liberam circa indiuidua inferiora, eslq; omnium rerũ causam efficentem, recte quidem sensit, quod autem ipsum posuerit agens necessariũ circa ea, quæ pertinent ad perfectionẽ, & cõseruationẽ vniuersi, & mundum ab æterno produxisse, grauiter errasse deprahenditur.

105 De ijs vero substantijs, quas Intelligentias vocant, Censuit Aristoteles, corporis esse expertes, indiuisibiles in essentia, finitas, incorruptibilesq;, tot præterea esse numero, quot lationes, deinde eas cæteris nobilitate præstare, quæ orbibus maioribus præfectæ sunt, primoq; mouenti viciniores, tum cælestes globos per intellectum, & voluntatem mouere, Deniq; præter vnũ Deum omnes in prædicamento substantiæ collocari.

EX NATVRALI PHILOSOPHIA.

DE ANIMA.

106 ANIMA, quam in vniuersum ad Physicum pertinere dicimus, etiam vt rationalem complectitur, est actus corporis Physici organici potentia vitam habentis; Quæ definitio est vniuoca etiam intellectiuæ. Hæc autem anima intellectiua secundum suam substantiam est corporis forma informãs, non modo secundum gradum sentiendi, sed etiam secundum rationalem.

107 Omnis anima, quæ secundum suam substantiam est in omnibus animalis partibus, ad ipsius constitutionem pertinentibus, cum eminenter contineat omnes inferiores formas, fit, vt minus recte in animali constituantur vel plures animæ, vel etiam aliæ formæ substantiales partium organicarum; Ipsa enim anima iuxta variam membrorum dispositionem communicat illis suã virtutem. Sanguis quoq; vere est pars animalis, & informatur ab anima. Capilli vero, & vngues, quia ad ornatum tantum spectant, non sunt animati.

108 Anima intellectiua est indiuisibilis, tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte. Animalium vero imperfectorum animæ simpliciter sunt diuisibiles. Animarum genera tria sunt, Vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum. quibus si addas loco motiuum, habebis quatuor gradus viuentium. His vero si addas appetitiuum, conficies quinq; potentia.

tentiarum genera, iuxta Aristotelis placita.

109 Potentiæ animæ distinguûtur, & definiuntur à Priori in genere causæ finalis per actus, & obiecta, ad quæ intrinsecum, & essentialem ordinem habent. Potentiæ vero adinuicem, & ab ipsa anima realiter distinguuntur. Intellectus porro, & voluntas in sola anima immediate inhærent, cæteræ vero potentiæ inconiuncto.

110 Vegetatiuæ potentiæ obiectum est alimentum, ad quod digerendum, & concoquendum vtitur calore naturali, tanquam instrumento. Hic vero calor, qui & cõplexionalis dicitur, eiusdem est rationis cum calore elementari, & ab anima motus multos sortitur effectus. Huius caloris in humido permansio merito Vita dicitur ab Aristotele.

111 Potêtiæ vegetatiuæ tres recensentur, Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. Habet tamen nutritiua quatuor socias, à quibus non realiter, sed definitione tantum, separatur, Atractiuam, nimirum, retentiuam, digestiuam, & expulsiuã, nam (quæ numerantur reliquæ) disseretiua, agglutinatiua assimilatiua, & vnitiua, ad illas referũtur. Generatiua quoq; suis administris non caret, nempe collectiua, superflui alimenti immutatiua, & formatiua. Sunt autem eiusdem speciei, quę producuntur ex semine, & exputri materia actione Cæli. Generationis porro causæ sunt mas, & fœmina, in qua mas actiuè fœmina dumtaxat passiue cõcurrit.

112 Sensitiua potentia non solum recipiendo speciem à sensibili, verum actiue producendo sensationem sentit. Aliqui etiam sensus, obiectum suum percipere nequeunt, nisi recepta ab eo specie sensibili. Quæ est qualitas quædam realis, extensa in subiecto, habens esse intentionale in medio, & in organo, côncurrens ad sensationem vt dispositio potentiæ, nec non motiue, & obiectiue, & quamuis circa sensibile proprium non accidat error, circa commune tamen aliquando erratur.

113 Visus est omnium sensuum pręstantissimus, cuius subiectum est pupilla, obiectum quid innominatum ad visum, & colores. Medium est diaphanum, Describitur autem color, vt visibilis, esse motiuus Diaphani actu. Lumen vero est qualitas quædam realis, in medio producta in instanti, coloribus, non vt fiant, sed vt perspiciantur, necessaria.

114 Visum proxime sequitur auditus, cuius organum est tympanum constitutum in interiori parte auris ex miringa, & aere quodam connaturali compositum, obiectum est sonus, soni vero subiectum non sunt corpora sonantia, sed corpus medium. Echo autem, qui est sonus ex reuerberatione aeris replicantis, non est idem numero cũ sono priori. Odoratus vero, cuius subiectum sunt mammillares carñculæ, & obiectum est odor, quamuis in homine imperfectior sit, quam in cæteris animalibus, ille tamen longè plura odorabilia aduertit, eorumq; differentias accuratius discernit.

115 Gustus, qui veluti quidam tactus est, in neruo linguæ, vt in subiecto residet, obiectum huius est sapor, qui est quædam qualitas in humido comprehendente siccum immutatiua gustus secundum alterationem. Tactus deniq; cæterorum sensuum initium, & fundamentum, in homine præstantissimus est, & animali simpliciter necessarius, cuius obiectum est qualitas tangibilis.

116 Sensus interiores sunt tantum quatuor. Primus est communis ad percipiendum

cipiendum sensationes sensuum exteriorum, & de ipsorum actibus iudicandum, cuius sensorium non in corde, sed in cerebri parte anteriore cõstituimus, à Cerebro siquidem omnes nerui tum sensitiui, tum etiam motiui ortum ducunt. Secundus est imaginatio ad retinẽdas species sensatas, à qua non distinguimus Phantasiã. Tertius est æstimatiua ad eliciendum species non sensatas. Quartus deniq; est memoratiua in posteriori parte cerebri ad easdem species non sensatas conseruandas. In homine porro non solum æstimatiua excellentior est, quam in Brutis, cum sit in homine collatiua intentionum particularium, sed etiam memoratiua, quandoquidem homo habet reminiscentiam.

117 Quamuis Deus optimus immediatè animam rationalẽ producat, homo tamen, cum vnionem animæ attingat, verè dicitur generare hominem. Sunt porro omnes animæ rationales æquales inuicem in perfectione; In anima item separata non manent nisi intellectus agens, intellectus possibilis, & voluntas, cæteræ vero potentiæ organicæ non nisi virtute remanent.

118 Intellectus possibilis suapte natura ad omne genus intelligibilis est in potentia, iunctus autem cum corpore ad ea solum per se primo idoneus est intelligenda, quæ sensuum cognitionem sequuntur, singularia vero sensibilia, actus intelligendi, ipse intellectus, & ipsa anima intellectiua, sunt secũdaria obiecta intellectus nostri pro hac vita; Species intelligibiles ad intelligẽdũ necessario requirũtur, etiam iuxta Aristotelis doctrinã.

119 Species intelligibilis est qualitas quædam immaterialis, intellectum perficiens, & in actu primo ad intelligendum constituens, ad intellectionem efficiendam cum intellectu concurrens instrumentaliter obiectiue, & terminatiue; cuius speciei intelligibilis causa efficiens est intellectus agens, subiectum est intellectus possibilis, Idem vero intellectus possibilis, vt conseruat species, dicitur memoria, quamuis ab intellectu agente realiter distinguatur. Actus præterea intelligendi à speciebus intelligibilibus realiter distinguitur, Cõceptus vero intellectus, seu verbum, quod per actum intelligendi producitur, ab ipso actu non nisi ratione ratiocinata distinguitur.

120 Appetitus in vniuersum duplex est, intellectiuus, qui & volũtas, & hæc organo corporeo non alligatur, ferturq; in bonum vniuersale, ad quod particularia bona ordinat, & essentialiter libera est, ac cæterarum potentiarum domina. Alter appetitus est sensitiuus, qui in irascibilem, & concupiscibilem diuiditur, sequiturq; appræhensionem sensus, cuius passiones vndecim numerantur, quarũ omniũ principium, & radix est Amor.

DE PARTIBVS ANIMALIVM, & ex Paruis naturalibus.

121 LIBRI De Animalibus, & plantis postponendi sunt ordine doctrinæ tractationi de anima, & quamuis ordine naturæ liber de Plantis præponẽdus esset libris de Historia, Partibus, & Generatione animalium, attamẽ doctrinæ ordine eosdem sequitur, libri quoq; de anima cum paruis naturalibus vnicam Philosophiæ partem constituunt, quorum obiectum

est

eſt Anima.

122 Partium corporis,& membrorum omnium primum eſt Cor, in quo ſanguis nutriens animal perficitur,licet primum gignatur in epate,ſicu ti autem cordis temperies eſt,vt ſit calidiſſimum , vt pote fons caloris, ita ex oppoſito Cerebrum ſuapte natura eſt frigidiſſimum, in quo ſpiritus vitales à corde procedentes fiunt animales,& ita temperantur,vt ad animæ ſentientis functiones obeundas ſint idonei.

123 Primum ſubiectum vigiliæ,& ſomni eſt ſenſus communis. Somnus porro,qui animali tributus eſt,ad vires animæ reparandas,fit ex congre gatione caloris intus eleuante vapores ad cerebrum,à quo deinde frigi di effecti obſtruunt venas,quibus mittuntur Spiritus ſenſitiui,& motiui ad corpus,ex deſcenſu vero,ſeu reſolutione illorum vaporum ſequitur vigilia.

124 Pabulum caloris exiſtentis in corde eſt humidum, tum naturale , tum etiam nutrimentale,quod quidem ipſi calori proportionari debet,opor tet enim,vt ſit ſubtile,digeſtum,aereum, quale in puro ſanguine reperi- tur.Hic vero calor cordis per exhalationẽ refrigerari debet, alias fieret craſſus,& animal ſuffocaretur. Refrigeratur porro in animalibus exan- guibus breuis vitæ per circumſtantiam continentis , & alimentum , in exanguibus longioris vitæ ſuſcipiendo intus propriũ cõtinens per mo- dũ pelliculæ in diaphragmate, in cæteris vero animalibus per attractio- nem aeris,quod reſpirare dicitur,cuius reſpirationis organũ eſt pulmo.

125 Motus Cordis tres ſunt,Motus ſaltus,qui eſt innaturalis, & prouenit ex frigore mortificatiuo,circumſtante ipſum cor,Motus pulſus,& hic fit in corde à calore naturali,iugiter agẽte in humidum alimentale,ipſũq; rare faciente,&Motus reſpirationis,qui fit per eleuationem Pulmonis, intra cuius pinnulas,ſeu alas,ſituatum eſt cor.

DE ENTE NATVRALI, EIVSQVE Principiis,Cauſis,& Paſsionibus.

126 OBIECTVM Phyſicæ,quæ neq; pars ſubiectiua,nec ſubal- ternata eſt Metaphyſicæ,commodius explicatur per ens naturale,ſiue mobile,quam per corpus naturale,vel ſub- ſtantiam ſenſibilem . Entis porro naturalis principia , vt fiat,non eſſe plura , nec pauciora tribus certa ratione ab Ariſtotele colligitur,Materiã nimirum,formã,& priuationẽ,vt factũ ve- ro cohæreſcat,duo,materiã, & formã:eſt autem materia primum ſubiec tum,ex quo fit aliquid,cum inſit,& non ſecundum accidens, & ſi corrũ- pitur aliquid in hoc abibit vltimum.

127 Hæc materia, quamuis extra ſuas cauſas ſit abſq; forma , atq; adeo à Deo optimo ab omni forma poſſit ſeparari,eſt tamen in pura potentia ad quemlibet actum perfectum;cuius potẽtia ſi ſumatur pro principio quo materia tendit in compoſitum,non ſolum vt eſt receptiua formæ, ſed etiam vt materialiter cauſatiua illius,eſt de eſſentia illius. In mate- ria quoq; neq; forma corporeitatis , neq; quantitas quaſi ſemper per-

ſeue-

feuerans cum ipsa, ponenda est.

128 Forma est actus simplex formalis, vnum per se cum materia componens, principium propriarum operationum rei, cuius nihil in materia præcedit antequā introducatur, sed educitur ab agente naturali vnā si excipias animam rationalem, Hoc autem educi nil aliud est quā produci in materia dependenter ab ipsa non solum in fieri, sed etiam in facto esse. Priuatio à materia ratione tātum ratiocinata distinguitur, Atqui principium corruptibilitatis in cōposito est materia priuationi annexa.

129 Cum vniuersale non colligatur nisi ex collatione indiuiduorum inter se, fit vt inter vniuersalia conceptus specificus sit primo cognitus ab intellectu nostro, inter ipsos vero conceptus specificos, arbitramur Primū conceptum specificum esse generis generalissimi, si fiat imperfecta sensibilium applicatio, & quo magis perfecta erit applicatio, eo conceptus specificus erit minus vniuersalis.

130 Impossibile est naturaliter materiam esse extensam, ac in partes diuisibilem absq; quantitate. Nullum etiam corpus respectu diuinæ potētiæ habet certum limitem magnitudinis, & paruitatis. Quod si de naturali potentia sit sermo, viuentia quoad quantitatem, quam virtute caloris proprij attingunt, per maximum quod sic, & minimum quod sic, terminātur; Non viuentia vero quoad paruitatem terminantur intrinsece, quoad magnitudinem vero ab extrinseco.

131 Totum essentiale physicum, & integrale non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis, præter collectionem, vnionem quandam habentibus, sed tantum ratione ratiocinata. Nullum præterea continuum, siue sit magnitudo, siue motus, siue tempus, componitur ex indiuisibilibus, quare in infinitum diuidi potest.

132 Natura est principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primo, per se, & non secundum accidens, materiæ & formæ analogice competens. Entia porro naturalia, ea dicuntur, quæ huiusmodi principium motus habent: siue actiuum, & passiuum simul, vt viuentia: siue passiuum tantum, vt cæleſtes orbes, & grauia, & leuia, quæ vbiq; clamat Aristoteles actiuè moueri à generante.

133 Causæ corporum naturalium iuxta Aristotelis doctrinam sunt tātum quatuor. Materia, forma, efficiens, & finis. Ad horum inferiorum effectuum productionem, non solum agentia particularia, sed etiam vniuersalia concurrunt, quod Deo optim. maximo non naturale modo lumen, sed ēt ipse Aristoteles tribuit. Fortuna, quæ est causa per accidens, effectuum raro contingentium minime intentorum, in rebus liberis, hoc solum differt à casu, quod hic includit etiam agentia naturalia; Nullus tamen effectus est casualis, vel fortuitus respectu Dei, sed respectu causarum inferiorum.

134 Motus est actus entis in potentia quatenus in potentia, cuius passio est tempus; quod cum formaliter sit ens reale, est numerus motus secundū prius, & posterius, qui motus ad quatuor tantum prædicamenta est, Ad substantiam nimirum, Quantitatem, Qualitatem, & vbi, nec distinguitur realiter à termino ad quem, nisi motus ad vbi, qui non distinguitur realiter ab ipso mobili, sicut neq; tempus à motu. In tempore præterea est

D vnicum

vnicum nunc secundum rem fluens per omne tempus, ratione ita mea ratiocinata differt,& est plura.

135 Locus,qui non est corpus,seu spatium inter cæptum inter latera continentis,est superficies corporis continentis immobilis, & æqualis locato.Immobilitas vero loci in hoc explicatur, quod sit in eodem situ respectu totius vniuersi.Primum mobile vero si veritatem rei inspicias,est in Cælo empyreo,vt in loco;secundum Aristotelem autem,non in sphæra inferiori,nec in cētro terræ,sed est in loco, non secundum se totum, sed secundum partes,qua ratione etiam mutat locum.

136 Potuisset Deus optimus mundum producere ab æterno,si illi placuisset,quoad partes incorruptibiles,&quoad corruptibiles,etiā si eas æterno tempore seruasset incorruptas. Vacuum est locus carens corpore, quod naturaliter dari nequit in quo si fieret motus non in instanti, sed in tempore fieret.Motus proiectorum, ab ipso proijciente efficitur per impetum proiecto impressum,quamuis negandum non sit medium conferre ad ipsum proiectorum motum.

DE CORPORE SIMPLICI MOBILI secundum locum.

137 CORPORA simplicia quinq; sunt; Cęlum nempe, Ignis, Aer, Aqua,& terra;de quorum locali motu sermonem instituit Aristoteles in libris de Cęlo; Etenim quatuor Elementa motu recto,vel á medio, vel ad medium feruntur. Quintum vero est circulare sua natura diuersum ab elementis,& circa medium cietur,estq; ingenerabile,& incorruptibile naturaliter,nullam grauitatem,vel leuitatem habens admistam.

138 Mouetur autem regularissimo quodam motu,nō á virtute interna, sed ab Intelligentia,quæ iuxta mentem Aristotelis cum eo iungitur, nō informando,sed tātum assistendo;est etiam hoc cœlum ex Aristotelis sententia ex materia,& forma conflatum.Huic nobilissimo corpori,merito Aristoteles differentias positionis attribuit,etiam si animatum non sit; non ratione tantum nostri,sed ex ipsius natura.

139 Cœlum in hæc inferiora non tantum agit per motum, & lumen, sed etiam per alias qualitates ex eius virtute influxas. Astra quæ sunt eius dem speciei cum suis orbibus,in quibus sunt infixa,nihil aliud sunt, quā partes sui orbis densiores,ex qua densitate consequuta sunt, vt possint radios solis ad se emissos reflectere.Constat quoq; Planetas,aliasq; stellas,non tantum á sole suum mutuare lumen, sed etiam domestico fulgere splendore.

DE

DE CORPORE MVTABILI
ſecundum formam.

140 LIBRORVM Ariſtotelis de ortu, & interitu ſubiectū a quatum dicimus eſſe, corpus mutabile ſecūdum form. vt cōmpræhendit, non tantum generationem ſubſtan lem, ſed etiam Augmentationem, & Alterationem elementorum, tum etiam miſtorum. Generatio vero ſtantiali cdatur, multumq; differt ab alteratione; In corruptio vero poſiti naturalis, nihil remanet, niſi materia prima, ſiquidem acciden materialia non in materia, ſed in compoſito ſubiectari aſſerimus.

141 Augmentatio formaliter eſt motus à minori ad maiorem quant tem. Ad augmentationem tria requiruntur, primo vt id quod auge idem maneat in principio, & fine augmenti, ſecundo vt eius quod getur, quælibet pars augeatur, quod quidem ab animali per poros p ſtatur. Tertio vt augmentum fiat ab aliquo nutrimento extrinſece ſu pto. Nutrimentum autem debet eſſe miſtum in potentia viuens.

142 Alteratio quoad intenſionem graduum qualitatis, & quo ad ipſius ſubiecto extenſionem eſt continua (ſi tamen alterationes excipias ſtantaneas) in alteratione datur primus gradus qualitatis acqu tus, nec tamen propterea in motu ponimus mutatum eſſe. Intendi porro qualitas per maiorem in ſubiecto radicationem, ipſa tamen r catio fit per eductionem noui gradus ſimile nunquam in omnino ſi le agit, quodlibet etiam communicans in materia cum paſſo in agen repatitur, ſecundum eandem partem.

143 Primæ qualitates quatuor ſunt, iuxta quarum variam combinati quatuor conſurgunt elementa, quæ ad quamlibet miſtionem perfect poſtea concurrunt. Eſt autem Miſtio miſcibilium alteratorum vnio. menta porro dum miſtum componunt non remanent ſecundum ſu formas ſubſtantiales, ſed ſecundum ſuas qualitates refractas, quar temperies eſt complexio neceſſaria ad formam miſti.

144 Quamuis ſingula elementa ex primis qualitatibus binas habeant v tamen ſibi ſummam vendicant, alteram remiſſam. Ex primis qualita bus calor, & frigus ſunt actiuæ, reliquæ vero paſſiuæ. Qualitates ele torum motiuæ ſunt grauitas, & leuitas, quæ à forma qualitatibus ac uis, nec non raritate, & denſitate naſcuntur. Miſtum quoad tempe innatam eſſe æquale ad pondus uix in natura poteſt accidere, ſecundu influxam vero poſſe eſſe æquale non eſt dubium.

45 IBROS de Ortu, & interitu proxime cõsequuntur libri Meteororum; tres priores libri differunt de corpore misto imperfecto, quod vel ex mutua sit elementorum actione, vel cælestis corporis ui, à quo omnis caducarum rerũ virtus gubernatur, quocirca oportuit omnia hæc inferiora immediate, vel mediate contigua esse superioribus lationibus. Primum tamen atq; nobilissimum locum obtinet ignis, tum Aer, post Aqua, vltimum denìq;, atq; infimum terra.

6 Aer vniuersus in tres regiones diuerso modo dispositas tribuitur. Prima igni proxima, atq; ideo calidissima mouetur circulariter cum ipso igne, infima propter radiorum solarium reflexionem præsente sole vehementius incalescit, quo absente actione ipsius terræ frigescit. Media vero regio, quæ non cietur circulariter, est vehementer frigida partim propter eam actionem, quam naturales antiperistasim vocant, partim etiam propter ascendentes vapores. In qua secundum diuersos situs, magnitudines, & dispositiones materiæ fiunt ex vaporibus sursum eleuatis, Pluuia, Nix, Grando &c. sicut in suprema regione ex ascensis exhalationibus fiunt volitantia sydera, vorago, hiatus &c.

7 Non omnia flumina, ex conceptis imbribus constipatisq; in terra vaporibus oriuntur (quicquid dicat Aristoteles) oriuntur autem omnia ex mari illucq; referuntur, vt iterum fluant. Marē vero salsum est non suapte natura, sed obtenuiores vapores cõsumptos, & ob admistam exhalationem, Oceani porro stata certaq; commotio nulli causæ rectius videtur, quam actioni lunæ adscribenda. Nubium quoq; materia vapor est. Ventorum exalatio, quæ si paulo crassior inclusa exiliat in terræ visceribus generat terrę motum. Putrefacio, circa quam quatrus meteororum magna ex parte versatur, est misti ob caloris proprij, & natiui humoris euaporationem, ab extraneo ambientis calore corruptio.

EX MATHEMATICIS.

3 DE QVANTITATE, ET DE CORPORE CÆLESTI.

OBIECTVM Mathematicarum scientiarum, quæ sicut natura posteriores Physica, sunt, ita nobis priores, rectè quãtitas ab omni re sensibili separata constituitur; quamuis Astronomica facultas contempletur corpus mobile circa medium, de cuius quantitate, & inuariabili motu sermonem instituit; sicuti autem vnitas continuo prior est atq; simplicior, a Arithmetica Geometriæ prioritate, simplicitate, certitudineque præstat.

Terragonismus scibilis quidem est, licet eius scientiam nemo huc vsque fuerit consequutus. Corpus sphericum minus rectè negatur tange planum in puncto, falso etiam autumant aliqui punctum, lineam, &

superfi-

superficiem, de quibus agit Mathematicus, non reperiri in natura realiter. Globus porro ex Terra, & Aqua cōpactus est sphericæ figurę estq; immobilis. Magnitudinis vero huius globi, idem est centrū cum centro grauitatis, superficies quoq; Aquæ sub Terræ superficie continetur. Plus item Terræ extra mare apparet, (quæ fuit Dei Opt in mortales munificentia,) quam sit aquis contectum.

150 Decem sunt cæli mobiles, supra quos ex sacrorum Theologorum sententia dicimus esse cœlum Empyreum, immobile illud quidem, nullam habens stellam, sed felicem Angelorum, & beatorum patriam. Motus vero cœlorum tres sunt in genere. Primus ab oriente in occidens, qui per se competit decimo cęlo, à quo tamen omnes inferiores orbes Ignis, & magna pars aeris eodem motu rapiuntur, secundus ab occidente in oriens, qui diuerso modo reliquis inferioribus competit. Nec tamen primus & secundus sunt motus contrarij. Tertius est motus trepidationis, qui fit super principia Arietis, & libræ nonæ sphæræ, & per se hic motus octauæ sphærę competit, quamuis eodem motu omnes inferiores orbes rapiantur.

151 Galaxiæ candor, quæ & lacteus circulus dicitur, prouenit ex perexigua rum stellarum nimia multitudine, quæ ad nostrum visum distinctę sicut cæterę non perueniunt, quare in firmamento, & non in aeris regione existit. Quamuis autem Eccentrici, & Epycycli non nihil à principiis Phisicis abesse videantur, tamen illos esse in cęlo probabilius est nobis varios enim motus, & Illustria phenomena sine illis demonstrare non possumus.

EX PHILOSOPHIA MORALI

DE ACTIONIBVS HVMANIS

152 OMNIVM Rerum agendarum finem aliquem esse oportet, omnis vero vitæ actio, à fine proximo speciem sortitur, sicut autem esse vnum, idemq; bonum, quod omnia proximè expetant fieri nullo pacto potest, ita esse vnum quo referantur omnia, quod & omnium principium fuerit efficiens, omnino necessariū esse asserimus. Fœlicitas porro hominis partim vna partim duplex est, vna quæ in actione, altera quæ in contemplatione versatur, neutra tamen in hoc statu perfecta esse potest, quare nec rationem beatitudinis simpliciter induere potest.

153 Ad vtranq; vero fælicitatem consequendam necessariæ sunt virtutes, quarum prudentiam in intelectu, iustitiam in voluntate, fortitudinem in irascibili, & temperantiam in concupiscibili tanquam in subiecto esse dicimus. Actiones porro ante habitum, & quæ illum consequuntur speciе inter se minime differre arbitramur. Morales medium sibi statuunt à ratione præscriptum, sed iustitiæ medium respectu rei sumitur, cum tamen in distribuendo Geometrica in commutando Arithmetica proportio seruetur. Cetærarum vero moralium medium attenditur respectu agentem.

154 Tres

154 Tres constituuntur Reipublicæ status, totidemq; illius euersiones: Primus, & præstantissimus est Monarchia, Hunc autem consequitur Aristocratia, Tertius erit Democratia. Eodem modo teterrima Reipublicę species est, qua omnia aguntur vnius tyranni impetu. Hanc sequitur paucorũ prauitas, & plebis in regendo stultitia. Communio rerum omnium, quam aliquis putauit perutilem fore ad caritatem ciuium inter se conciliandam, & retinendam, non solum rectæ rationi aduersatur, verum etiam quamlibet Rempublicam bene constitutam perturbaret, & funditus euerteret.

EX DIALECTICA.

DE ENTE RATIONIS.

155 LOGICA Quæ proprie scientia, & simpliciter speculatiua est, contemplatur pro obiecto ens rationis logicũ, quod consequitur ad operationem intellectus. Introductionis vero Porphyrij subiectum est vniuersale, pro vt est prædicabile, quod quidem est genus vniuocum ad illa quinq; scilicet genus Differẽtiã, speciem, propriũ, & accidens. Genus autem est quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est differentias non actu, sed potestate continens, & in vna specie conseruari optime potest, sicuti species in vno indiuiduo.

156 Vniuersale non esse solam vocem, vel conceptum sed naturam communem per vocem immediate, vel per conceptum significatam, neq; a singularibus separatam, vt volebat Plato, sed in ipsis singularibus esse tenemus. Fit autem vniuersale per notitiam absolutam, quamuis nõ cognoscatur tale nisi per comparatiuam. Natura etiam quælibet secundum se sumpta, nec est vna numero, nec specie, accidit vero ei, vt sit singularis, vel vniuersalis.

157 Liber prædicamentorum licet simpliciter ad Metaphysicum pertineat, ad logicum tamen aliqua ratione spectat; Eius subiectum sunt res simplices significatæ per voces, medijs conceptibus, vt ordinabiles sunt secundum subiectionem, & prædicationem. Quantitatis vero ratio est partium extensio, quæ in continuam discretamq; tribuitur, librorum perihermenias subiectum est enunciatio, enunciationis partes necessariæ duæ sunt, nomen, & verbum.

158 Posteriorum analyticorum libri non immerito iudicatiui nuncupantur, sicuti etiam topici inuentiui dicuntur, horum subiectum est syllogismus dialecticus, illorum est Demonstratio, quæ longe nobilior est definitione. Diuiditur porro demonstratio, in demonstrationem, Quia, Propter quid, & simpliciter, quæ est omnium nobilissima, cuius medium aliquando est definitio passionis, aliquando definitio subiecti, Puto tamen Duabus demonstrationibus perfecte ostendi passionem inesse subiecto, in quarum vna medium sit definitio passionis, in alia sit definitio subiecti.

159 AN differentiæ Practici, & speculatiui sumantur ex fine vel ex obiecto.
160 An potentia nutritiua & augmentatiua inuicem distin guantur realiter.
161 An Potentia vitalis constituat distinctam genus potētia à quinq; enumeratis ab Aristotele
162 An Potentia tactiua non solum sit in neruis, sed etiam in omnibus animalis partibus solidis præter ossa.
163 An tactus sit vnus, vel plures.
164 An Causa exemplaris in agentibus naturalibus, constituat quintum genus causæ.
165 An Cœlum habeat materiam eiusdem rationis, vel diuersæ cum istis inferioribus.
166 Quod si materiæ Cœlorum essent diuersæ rationis ab inferioribus An ipsorum cœlorum materiæ inuicem specie distinguantur.
167 An grauitas terræ, & aquæ, similiter leuitas Ignis, & Aeris distinguantur specie.
168 An Quartus licet Meteoro. connectendus sit reliquis tribus, vel duobus degeneratione, vel per se separandus.
169 An Virtutes intellectuales præstent moralibus.
170 An Entia rationis faciant distinctum prædicamentum.

LAVS TRINITATI SVMMÆ BEATISSIMÆ Virgini Mariæ Deiparæ omnibusq; Sanctis.

Imprimatur.
V. Quatrimanus. Vic. Gen. Neap.

F. I. B. Theologus. Vidit.

Paulus Regius. f. 28.